



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. X, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 36rb-36va
transcribed by Andrea Colli

Circa distinctionem 10 quaeritur utrum angeli secundum suas species cognoscant futura vel non entia.

Videtur quod sic, quia sicut est aliquid distans secundum tempus, ita secundum locum. Sed angeli cognoscunt distantia secundum locum, ergo et futura, quae sunt distantia secundum tempus.

Praeterea. Tempus praeteritum et futurum sunt differentiae temporis. Sed intellectus angeli est supra tempus, quia intelligentia parificatur aeternitati, cum aevo mensuretur. Ergo cum apud intellectum angeli non differant praeteritum et futurum, aequaliter cognoscit utrumque, sed bene cognoscit praeteritum ergo et futurum.

Contra. Futura cognoscere solius Dei est, ergo nulli creaturae convenit. Maior, patet Ysaiae XII: dicitur enim ibi annunciate quae ventura sunt in futurum, et sciemus quoniam Dei estis vos.

Responsio. Dicendum quod futura aliqua cognoscuntur dupliciter. Uno modo in causis suis; alio modo, ut sunt principaliter, in se ipsis.

Primo modo comparantur futura ad causas suas tripliciter. Aliqua enim sunt futura, quae ex causis suis necessario proveniunt. Aliqua non necessario, sed in maiori parte, cum possunt ab aliquo impediri. Tertio sunt aliqua futura, quae per comparisonem ad causas suas, ut in paucioribus eveniunt et ut in pluribus impediuntur. Si loquamur de futuris per comparisonem ad causas suas necessarias, sic non tantum ab angelis, sed etiam ab hominibus cognoscuntur, sicut optime scimus solem oriri cras.

Si autem loquamur de futuris secundo modo, sic ab angelis cognoscuntur non per certitudinem omnimodam, sed per coniecturam; tanto certius, quanto de hiis coniecturiis per experientiam sciunt melius videre. Sicut enim videmus quod illi medici, qui quanto melius inquirunt de causa infirmitatis, tanto de sanitate vel morte possunt melius /36va/ iudicare, sic cum isti angeli causas omnes impediennes melius cognoscant, quantum quicumque intellectus creatus de hiis futuris plenior certitudinem habent.

Si autem loquamur de futuris causalibus, quae ut in paucioribus eveniunt, sic talia futura sunt penitus ignota. Si autem loquamur de futuris, ut sunt in seipsis, sic antequam sunt, non cognoscuntur nisi a solo Deo. Enim tantum illa quae de necessitate eveniunt vel etiam, ut in pluribus, sed ipsa causalia et etiam fortuita, in quantum videt ea ab aeterno in se ipso in sua aeternitate, quae, cum sit simplex toti tempori adest, et ipsum includit. Et ideo unus Dei intuitus fertur in omnia quae aguntur per totum tempus sicut in praesentia, et videt omnia ut in seipsis sunt. Angelicus autem intellectus, et quilibet creatus deficit ab aeternitate divina. Et ideo etiam angeli hoc modo non cognoscunt futura, nisi quando iam sunt actu.

Modo contra hoc arguitur multipliciter et valde probabiliter, quod scilicet ipsum futurum non possit certitudinaliter cognosci, antequam sit, maxime si species angelis sint concreatae.

Primo sic. Non est enim alia differentia praesentium et futurorum, quae per illas species possunt cognosci, nisi quia futura producendo in actis surgit nova relatio in ipsa specie ad rem, quae prius non fuit aliquid; sed per hoc non fit aliqua nova transmutatio in ipsa specie nec sibi additur aliquid. Ergo nec differt aliquid in modo cognitionis, quae non fuit prius.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. X, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 36rb-36va
transcribed by Andrea Colli

Secundo sic. Sicut non sunt res assimilatae speciei, antequam producantur, ita postquam corrumpunt. Sed hoc non obstante cognoscitur per speciem illam res corrupta, ergo per eam poterit etiam cognosci res futura.

Tertio sic. Modus cognitionis est secundum modum principii quo fit cognitio. Sed species mediante qua intelligit angelus eodem modo se habet ad praesentia, praeterita et futura, quia in illa numquam fit variatio in ipsa specie. Ergo eodem modo haec sicut illa cognoscuntur.

Ad primum dicendum quod nova relatio vel transmutatio non est causa cognitionis, sed existentia ipsius rei ex qua res habet similitudinem cum ipsa specie et proportionem ad ipsam. Quae proportio necessario requiritur ad actum intelligendi.

Ad secundum dicendum quod quamvis res praeterita non sit similis, habuit tamen similitudinem pro tempore illo quo fuit, et illa ratione intelligitur ab angelo. Unde non intelligitur secundum quod non ens, sed secundum quod existentiam habuit.

Ad tertium dico quod quamvis species eodem modo se habet ad rem, non tamen res eodem modo se habet ad speciem, quia antequam sit, non habet unde assimiletur speciei, quod tamen ad actum intelligendi requiritur. Vel dicendum quod non eodem modo species se habet ad praesens, praeteritum et futurum, quia proportionatur praesenti ratione existentiae et etiam praeterito, et non futuro, cum careat existentia.

Ad argumenta in oppositum dicendum ad primum quod distantia secundum locum sunt in rerum natura, et participant aliquam speciem, cuius similitudo est in angelo, quod non est verum de futuris, ut dictum est. Et ideo non est simile.

Ad secundum dicendum quod, licet intellectus angeli sit supra tempus in quo mesurantur corporales motus, est tamen in intellectu angeli tempus secundum successionem intelligibilium conceptionum; secundum quod dicit Augustinus, VIII Super Genesim ad litteram, quod Deus movet creaturam spiritualem per tempus. Et ita, cum sit successio in intellectu angeli, non omnia quae aguntur per totum tempus sunt ei praesentia.